B. N. C.
FIRENZE
1056
29

1056 29

Τὸ ἐν τῷ Κρίκῳ Κρίνον

Siue

LILIVM IN ORBE MEDICEO

C A R M E N

INTER PHILOSOPHICVM CERTAMEN

FRANCISCI CAPYCII GALEOTAE NEAPOLITANI
E M O D V L A T I



Neapoli, Apud Secundinum Roncaliolum. 1633. *Sup. Permiſſu.*

1056.29

SERENISSIMO PRINCIPI

FERDINANDO II. MEDICES

MAGNO HETRVRIÆ DVCI

FRANCISCVS CAPYCIVS GALEOTA

εὐπράττειν, ϗ εὐλυρίζειν.

SVos inter numeros ignorare ſe Maronianus paſtor confitetur

. . *quibus in terris inſcripti nomina Regum*
Naſcantur flores,

Canenti mihi tamen Lilia, Regio tuo nomine decora continuò ſuccurrerunt: Ac profectò adulto iam vere, quid potius referam, quàm flores tuos? Cum igitur Philoſophico noſtro certamini cantus insererem, inſita tuis orbibus Lilia muſicos modos miniſtrauerunt; Idque eò libentiùs aggreſſus ſum, quòd illa lacte quodam imbuta eſſe perhibeantur; etenim quid lactenti dulcius infanti, quàm muſici numeri? ſcilicet (mirum ſanè) tunc ille vocibus artificioſiſsimè inflexis delectatur, cum vocis inops omnino eſt: tunc cantu maximè permulcetur,

cum

cum illum natura plorare tantum edocuit: ad extremum vtinam tuo in Lilio, & lacteo in flore non inſuauis ſim. Vtinam in Lyricis hiſce Lyricorum Principem æmulari poſsim; ex illis enim mel à me legi par foret inſtar apū quibus ſe parem dixit Horatius.

ego apis Matinæ
More modoque.
Grata carpentis thyma per laborem, &c.

Interea boni conſule, à me flores tuos maximè lectos, electoſque. Nam volui lilia Orbi proponere, quæ orbi tuo appoſita ſunt.

TRibus in Lilijs, terno luſimus carmine; atq; vtinā florentem inter ſegetem non inculto. Ac primò quidem illa lactentia fecimus; tum ceteras, veluti adulto iam flore, laudes proſequuti ſumus; denique eadem dedimus cælo, atq; inter ſidera numerauimus, tam breui gyro illa complexi ſumus, quæ ipſo vix Orbe circumſcribi poſſunt; & vnius velut ambitu vitæ concluſimus, quæ numquam interitura ſpero, atque vnum ſuo in flore non habent floris, ſcilicet, diuturnitatem.

CARMEN
PRIMVM.

Naſcere Lilium, dum te tua cum Flora magis Florentia reuocat; vtere facili Iunone Lucina; quid ni? alumno fauebit ſuo; tibi eadem & nutrix erit.

AGE quo primum prodijt orbe
Orbis Hetruſci nobile germen,
Dic age Chloris? genitrice plaga
Qua ſata primum, lilia, vel quis
Regius hortis pubuit ortus?
Aut vbi primas lene Fauoni
Fronde flabellum, Zephyrum ludus,
Iocus aurarum combibis auras?
Quæ tota tuis nituere genis,
Quæ tota tuo maduere labro
Flumina mammæ, laƈtiſque vada,
Laƈtea pubes, candida pompa,
Fax noua florum, Chloridis ardor,
Maxime florum?
Nuper ab Argis, patriaque Samo
Soror, & coniux magna Tonantis
Lenè coaƈtis ad lora flabris
Vaga nubiuaga veƈta quadriga,

Sum-

Tranſgreſſa leui ſidera curru,
Summa tetigerat limina mundi;
Dumque ſupremos torquet in ignes
Effera torui luminis orbes,
Inuida flammis, horrida facibus,
Quibus æternus paſcitur Aether,
Face multiplici concita pectus,
Arſit in iras.
Pellice rident ſidera flamma,
Ardet amantum turba per aſtra;
Regit hác vndas, ac pauet vndas,
Inſcia pelagi, conſcia ratibus,
Parrhaſis Arcton.
Euomit ignes nuper ab alto
Gurgite raptus Tyria raptor
Virgine taurus. Micat alterna
Vice Tyndaridum flamma Laconum.
Septimgemina luce coruſca.
Madet Heſperidum turba ſororum,
Athlante ſatum genus, Athlantis
Vertice fultum.
Fremit aſpectu Regina Deum,
Arida reflult lumine gutta,
Vitiat geminum ſpuma labellum;
Sinibus totis emicat oculus,
Mixtoque litus pallore cruor
Variat crebro corpora puncto;

Iam

Iam noua rapida ſidera dextra
Iam noua rabida ſidera planta
Premat, ac vellat;
Penè ſupremis ſedibus aſtra
Vngue refigat, viduet gemina
(Si fata ſinant) lampade mundum:
Cum forte leui murmure reſonos,
Meliore modos arte ſequuta,
Repulit facili ſedula digito
Pieris orbes.
Sidera placido ſuaſere ſono
Lumina placido tradere ſomno,
Paruit alta victa quiete
Pupula, cecidit victus ocellus,
Stetit ira, bibit cura ſoporem,
Tantusque graui pectoris æſtus
Turbine ceſſit.
Vsque adeo Dis aut nulla fuit,
Aut breuis ira eſt.
Conſtitit ardens Axis, & agiles
Tenuit lapsus, non auſa ſuum
Pede præcipiti voluere curſum
Fulgida ſummi lumina gyri,
Non auſa ſuos flectere cantus
Cælica Siren.
Siluere poli, ſuetosque modos
Perdidit Æther, fremitus tenuit

Dextra Tonantis, nec vaga fulmen
Nubila rupit; famulata Deæ
Lumina preſſit, medioque diem
Merſiſſe polo fertur Apollo.
Nouus interea Ioue patre ſatus,
Nec patre minor, Pupus adierat
Limina vitæ, ſcelerum vindex,
Data ſpes Orbi penè cadenti,
Nemorum terror, fuga monſtrorum,
Et præcipiti fultura polo,
Vagus Alcides,
Dolor iratæ ſæpè nouercæ,
Grauis inſanæ furor ille Deæ.
Huic æterno vita liquore
Quò fluat, vno fonte liquanda,
Fonte nouercæ.
O magna graui ſuſpenſa iugo,
O nulla leui ſubeunda via
Gratia fati! ſed tibi facili
Nunc fata labro tentanda puer;
Inuade ſacri pectoris imbres,
Inuade Deæ dente papillas,
Dum tibi fontis limina pandit
Secura quies, dum iacet auſus
Neſcia tanti maxima Iuno.
Hic audaci pupulus ore,
Tacito menſus ſidera greſſu,

Labra Diuino proluit imbre,
Hauſtuque auido bacchatus aquas
Inter amicas, refluente ſitim
Vbere domuit. Populata ſinum
Lingua flagrantes vuida fibras
Rapuit toto pectore riuos.
Iamque beati fluminis vndas
Preſſerat albo fonte nouercæ
Satur ambroſia, liquidique labro
Ebrius eboris;
Cum tandem auido dente papillam
Scidit, & lactis tranſidit acri
Cuſpide ductus.
Preſſa cruenta purpura mamma
Iit, & niueos perdidit imbres.
Non ſic roseo candida variat
Ardore pudor virginis ora,
Non ſic albi limina Cæli
Face purpurea collinit Eos,
Nix visa rubro merſa corallo,
Et ebur Tyrio pulchrius oſtro.
Fulgurat inter guttula niueos
Rubra liquores, & mixta ſuo eſt
Murice gemma.
Vter in ſocios pulchriùs injit
Rubor, an candor flumine fines?
Vter aduerſos dulciùs imbre

Temperat imbres? Vter alterius
Limina tetigit gratiùs hoſpes?
Quam benè niuea purpurat vnda
Quam benè rubro candicat imbre!
Candore nitet, minioque micat
Vulnus, & vber lacte, cruore.
Mordente ſopor dente refugit,
Vbere rupto magè rupta quies;
Adſtat iniquus raptor, & ora
Pendulus, alto pectore potitur
Impunè Deæ.
Repulit gemina ſimul illa manu
Sugentis adhuc ora puelli;
Tamen abrupti flumina lactis
Vaga felici perdita lapſu
Liuere polos, totoque ſtetit
Impreſſa notis orbita viuis,
Et ducta modis ſemita miris
Lactis in axe.
Tum deciduo pondere præceps
Guttula mediam ditauit humum,
Quà præcipiti defluus amne
Regnata meo limina veri,
Deuota meæ limina Floræ
Inter Hetruſci Principis orbes
Chloridos vrbem diuidit Arnus.
Quà parte poli ſtetit imbre globus,

Glo-

Globus aſtrorum ſtetit, vt bibulo
Lumine legeret cara ruentis
Fragmina ſucci;
Et claret adhùc coeunte face
Fuga multiplicis lucida flammæ,
Lactiſque notas lambere doctum
Nobile vulgus, ſitiente labro
Inhiat primi nectaris imbres.
Qua parte ſolum gutta beauit,
Lactea fulſit gramine pompa,
Veris ocellus, Peſtique iubar,
Vnoque minor frondibus aſtro,
Candida pubes.
Cederet illi fronde liguſtrum,
Et roſa pulcræ cura Diones,
Non illa ſua viduata niue,
Et prima ſuo diues in ebore
Premeret victo pallore genas.
Non ipſa nouis fulgida niuibus
Paupere concha magna propago,
Et purpureo candida pelago
Soboles, nimia pota pruina
Orbis Hetruſci gemmea florem
Gutta laceſſat.
Hoc flore genas Matuta notat,
Hac niue vultus Cynthia pingit,
Hac fronde ſuos rapit argenti

Lamma colores. micat Alpino
Durata gelu, nobilis hiemis
Filia, glaciè decus annoſum,
Adamante grauis, diuite rigida
Niue Chriſtallus, ſed fronde genas
Tingit Hetruſca, totoque refert
Lilia vultu.
O abrupti flumina lactis
Benè felici perdita lapſu!
O cæleſti deflua mamma
Grauis Ambroſia, nectare pinguis,
O vaga lactis data preda meæ
Guttula Floræ!
Non Herculeo ſidis in ore,
Sed Mediceæ germina Floræ
Lilia tingis, quò tibi pubes
Gentis Hetruſcæ ſurgat, & ipſo
Hercule maior, nec premat vno
Orbe lacertos, ſed ſexgeminos
Erigat Orbes.



CARMEN ALTERVM.

Adoleuiſti pubes magna, imo maxima. Semper ſuperum cura, nunc præcipue. Tibi Iuno lac quondam præbuit, nunc Ioue regeris, HETRVSCO ſcilicet genere. etenim rectorem orbium quem appelles niſi Iouem?

NVper ingenti reuoluta gyro,
Nuper Hetruſcos meditata flexus,
Orbibus cantum mihi iuſſa tantis
Flectere arundo.
Non globo par ſexgemino lacertos
Hercules ferret, neque Maurus Athlas,
Cerne, par orbi male vix vterque
Dicitur vni.
Pro globis nectit mihi liliorum
Flora regales meliùs corollas;
Hæ ſuis mi ſat referent Hetruſcos
Flexibus Orbes.
Phœbe quid ceſſas? age, candicantem
Cantibus florum fer ad aſtra pompam,
Ante ſed flauum redimas niuali
Fronde capillum.

Non tibi tales dedit ulla ſuos
Mamma, dum Paſtor facili Iuuencas
Exprimis dextra, patiens videri
Exul Olympo.
Non pari quondam genitricis almæ
Mamma naſcenti tibi fluxit imbre,
Firma cum primùm ſtetit inter vndas,
Delie, Delus.
Non tibi ſertis Zephyritis aureum
Nexuit quondam paribus capillum,
Cum ſacra magnum caneres parenti
Voce triumphum.
Orbis ò verni decus, ò nitentis
Fulgidum Peſti iubar, & decoræ
Chloridos florens honor, & venuſtas,
Gratia Floræ.
Cælites noſtra calices coronant
Fronde, nec menſis recubat, beatum
Haurit Hetruſco niſi flore nectar
Turba Deorum.
Si quis æternam vagus errat aulam
Purior, ſi quis meliore flammas
Ventilat pulſu, ſuperoſque miſcet
Spiritus ignes:
Hic meum pellit decus, hic procaci
Ludit afflatu, varioque frondes
Circuit gyro, choreaſque blando
Murmure miſcet.

Huic

Huic liquat guttas operoſa ſolis
Dextra naſcentis, liquat ipſa ſuccos
Roris immenſo vaga turba mundo
Turba fauillæ.
Sæpè Diuino ſuperum cohortes
Nectaris fundunt melioris hauſtu,
Et ſuos illi famulata rorat
Gratia riuos.
Sæpiùs dulcem properauit imi
Pectoris fontem, liquidæque mammæ
Mulſa Diuinæ obſequioſa frondi
Fundere Juno.
Hinc odorotas populatur auras
Quidquid Hybleis olet Aſſur hortis,
Hinc ſuos Perſis rapit, hinc Orontes
Mollis odores.
Fragrat hoc primo rubicundus igne,
Spirat hoc primo reſeratus orbe,
Fuſus auroræ pereunnis imbre
Poſtis Olympi.
Ipſe te propter niuis, atque olorum
Pallidus marcet mihi victus albor,
Ipſa te propter premit albicantes
Cynthia vultus.
Non apis frondem laniare morſu
Audeat tantam, nec acerba dulces
Hauriat fontes acus, & niuales
Polluat imbres.

Vna ſed circumuolitent Amorum
Turba natiuo viduata telo,
Vna mi tantum meliore lambant
Ore liquorem.
Vilis hinc, vilis fuge turba, ſorti
Non tuæ pubes datur, hanc lacerto
Maximus Regum ſerat, atque roſtro
Findere terram.
Geſtiant curuo meliùs metallo
Sceptra, vel fronti radium reſoluat
Phœbus, & claro Medicea fundat
Vomere turbo.
Lilia, aut magna ſerat ipſe dextra
Iuppiter frondes, aciéque ſummi
Fulminis (ſi fas) leuiore ſulcum
Vulnere ducat.

CAR-

CARMEN
TERTIVM.

Aſtris te tandem tranſmittimus, & AEtheri inſerimus ex HETRVRIA; cunctaris. quid? num orbis, cui nunc inſides, Cælum eſt?

IAm pridem Hetruriæ ſūmi plaga lucida Cæli
Inuidet, & noſtris ex orbibus ætheris orbes
Germina cognato fluitantia lacte repoſcunt.
Permitte ventis, floſcule, candidos
Frondium textus, volucrique nubes
Rumpe volatu;
Pennas ſat tibi texuit,
Aliis ſat latus inſtruit
Natura, frondes pande volubiles,
Et perinane leui,
Caris creditus auris,
Curſu nubila diuide.
Stat famulātū agmē Zephyrorū, & amica Fauoni
Flabra volant, implentq; ſinus, age candida proles
Volucres auræ flecte iugales,
Quate nubiuagæ frena cohorti,
Inſere ſupremis niueum caput, inſere flammis:
Sed qui te ſociant ſuis

Ignes

Ignes fauillis? quæ tibi ſiderum
Iam datus aſtris, ſuperiſque datus
Iunges agmina floſcule?
Quod tibi ſe comitem iubar addet, & heſpite tanto
Priſcis cedere ſedibus
Geſtiet vltrò, retrahetque faces,
Dabitque magnum ſideri ſpacium tuo?
Num te lacte ſuo ciet Aetheris orbita, num te
Conſimili lita ſemita ſemita gutta
Fraternis dabit imbribus,
Miſcebitque niues niue,
Lac lacte, atque ebori par ebur inditum
Purpureis candore ibunt certare fauillis?
An Taurus potius vocat,
Floremque flammis ille conſociat ſuis,
Vernantis anni nuncius florum parens,
Vt Duce te meliùs Zephyris trànſuecta ſecundis
Chloris agat menſes, & ſidere flore ſuperbum
Floreat, auſpicioque pari Ver ſurgat in annum,
Candore tuo mulceat hiemes,
Diſſoluatque tuis in niuibus niues.
Ibis qua tenet Ætheris
Arctos ſupremum fulgida verticem,
Quò curſum ratibus tuis
Feliciori lumine dirigas,
Cum totam quatiunt claſſe Propontidem,
Et Boſphoranum diſſecant roſtro fretum,

Odri-

Odriſijs fera fata fugacibus, horrida monſtris
Supplicia Gethicis, & Eoo dira Tyranno
Pernicies. Tremit Euxini vagus acola Ponti,
Strimoniæque rates,
Et filiæ Rhodopes citæ,
Et quas ſũmus Athos cũq;, aut œagrius Hæmus
Ægeum tranſmittit ouans frenare carinas,
Volucri pauidæ remige fugiunt
Sæua minantum fulmina trabium.
Horrent ſtare tenaci
Plantas Cyclades vnda,
Gauderentque iterum verrere patrium
Conuulſæ pelagus, ſiue Aquilonibus,
Seu potius Lybicis animis data præda per altum,
Vt imminentes æquore
Arboreas moles, & Hetruſci turbinis iras,
Vltriceſque rates vitent, greſſuque fugaci,
Iam fibris vacuæ, atque agiles fundamine nullo,
FERDINANDE, tuis dent terga prementibus alnis.
O quàm benigno lumine puppium
Spectabis virides æthere laureas,
Plaudenteſque Deos Pelagi, totoque vagantum
Aequore ſemideum vulgus, turbamque natantem,
Doridas, ac Thetidas, Nereidas, Amphitritas,
Oceanumque patrem,
Nerea, Neptunumque, & Carpathio Ægeo
Prothea. Millenos fœcundum Prothea vultus.

Candore

Candore pallidam ſuo,
Cornuque fractam liuido,
Aequore Lunam cernere dabitur,
Rudente flexo ſtrictam, & aſpra cannabe,
Iugum ſubiſſe cornibus dignum ſuis,
Non face ſtabili, ſed bene ſtabili
Vimine vinctam.

O ſidus orbe ſemper in tuo nimis
Sidus laborans; orbibus laboras
Magis Hetruſcis;
Sæpè tuis viduata flammis
Tellure Phœbe condita diceris,
Nūc magis in tumida nitor eſt tibi naufragus vnda
Sed quis niuale turpat
Argentei iubar oris?
Quiue inſidet multiplici ductus nota
Fronti, geniſque liuor?
Num nigra candenti tibi cuſpide ſemita ducta,
Horretque genis dura cicatrix,
Nomenque victa ducis Hetruſci Ducis,
Dumq; regis Thracas, nota Thracia ſidit in ore?

FINIS

1056.29
93 958039